anima per coniunctionem. deitas per vnionem. sꝫ deitas
in persona filij: persona enim patris ibi non est: nec psona
spūs sc̄i: qꝫ nō sunt vnite humane nature: cuius vnionis
rōe dicitur ibi esse deitas. Sola enī persona filij vniuit hu
manā naturā: vñ psona filij ibi est. Deitas autē ibi est to
ta integra ⁊ pfecta p essentiā: potentiā: nō per presentiam
sicut in omni creatura: tamē non sunt ibi sub sacramēto ⁊
rōe sacramēti pater ⁊ spūs sanct⁹ in persona: sed sola per
sona filij ratione p̄dicta. Sed pro ista materia vide viam
para qñ in p̄ncipio in. §. deus est vbicqꝫ ⁊c. Sequit̄ simili
mō ⁊c. in qua clausula sunt multa notabilia eodez modo
quo in primo. Dicitur autē in eadē clausula. hic ē enī calix
sanguinis mei ⁊c. virtute quorū verboruz fit cōuersio vi
ni in sanguinē ꝛꝑi in calice sub specie vini: sed sanguis per
conuersionē alias per cōnerionē: corpus per cōuersionez:
aīa per cōiūctionē: deitas p vnionem. Sꝫ qñ si sit sacra
mētū si nō apponat vinū? Ad qđ dicēdū qꝫ sic. sed nō ple
num sacramētū: qꝫ sub specie panis est sacramētū corpo
ris tantū. sꝫ si aliqꝫ ommitteret vinū sciēter ad iducēdum
forte heresim: nō esset sacramētū. Si autē aliqꝫ per obli
uionē vel negligentīā dimiserit vinum debet reincipere a
simili modo ⁊ prius ponere vinuz. Dicūt tamē aliqui qꝫ
min⁹ malū est scādaluū generare: qꝫ veritatē tanti sacrame
ti p̄mittere: sꝫ nō debet dimitti veritas propter scanda
lū. Sed p veritate vide viā para in l̄ra. ca. ij. in. §. sꝫ redeū
do. Sed p scādalo vide viā para. in l̄ra. l. j. Nā si vinum
nō apponatur in quo intelligit̄ veritas: nō potest vere di
ci hoc sacramētū cōmixtio corporis ⁊ sanguinis. ⁊c. Sed
si nō apponatur aqua: non ideo est minus sacramentum
sed illi qđ eā dimittūt p obliuionem peccant venialiter: qui

per negligentia mortaliter: et graue est ad corrigenduz, sequitur noui et eterni testamenti: quod ex effusione sanguinis christi testamentum accipimus eterne hereditatis. De hoc testamento dicitur. **Lu. xxi.** Dispono vobis regnum sicut dispositum fuit mihi pater ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Sequitur mysterium fidei: quod sine fide non fit hoc sacramentum: quod sine fide non potest aliquis plene intelligere hoc sacramentum. Sequitur quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis, id est in memoriam mee passionis et mortis, vnde **1. Pau. ad Cor. x.** Quotiescumque comperitis christi manducaueritis et sanguinem eius biberitis mortem domini annuntiabitis. **Notandum est** quod illa crux que fit super panem cuius dicitur. **Benedixit fregit, signat** quod christus passus est in anima, vnde totus passus est secundum animam et corpus ut totum hominem redimeret.

Sequitur septima pars. **Ante et memores in cuius principio** dicitur beate passionis. Et debet sacerdos manus extendere ad modum crucis, et sequitur necnon ab inferis resurrectionis, et tunc dicitur illas parum erigere in signum quod christus inuictus leo resurrexit a mortuis. Sequitur tertium, scilicet et in celis gloriose ascensionis, et dicitur tunc illas erigere in signum quod deus et homo ascendit in celos et sedet ad dexteram dei patris, id est ad equalitatem. Sequitur hostiam sanctam, hostiam puram, hostiam immaculatam, panem sanctum vite eterne: et calicem salutis perpetue. **Dicitur autem christus hostia pura** quod conceptus est sine peccato. **Dicitur autem panis vite eterne** quod refectio angelorum. **Calix salutis perpetue:** quod christus refectio est vel affectio hominum. **Potest autem aliter exponi** ut dicatur hostia pura, quod christus oblatum est ut nos liberaret de seruitute originalis peccati. **Hostia sancta,** quod vulneratus est ut perficeret sacramenta quibus sacrificatur ecclesia. **Hostia immaculata,** quod mortuus est ut nos liberaret a morte eterna. **Panis vite eterne,** quod est nostrum viaticum quasi via. **Calix salutis perpetue,** quod est refectio inebriationis patriam. **Fiunt autem quatuordecim cruces super hostiam,** tres prime debent super utramque speciem fieri, quarta super speciem panis quinta super speciem vini. **Quique autem fiunt cruces in summa:** quod

quæ fuerunt effusiones sanguinis christi. Prima fuit in circumcissione. Lu. ij. scda in sudore. Lu. xij. tertia in flagellatione. quarta in crucifissione. quinta in lateris lanceatione.

Sequitur octava pars. s. Supraque propositio. etc. Et sunt quæ ibi notantur tres partes veteris testamenti. s. abel. abraham. melchisedech. in quibus sacramentum altaris figuratur. In scda clausula dicitur per manus angelus in sublime altare tuum in conspectu diuine maiestatis tue. Et exponitur verbum istud tripliciter. Primo sic. Oportet iube hoc. i. panem transmutari in sublime altare tuum. i. in corpus et sanguinem filii tui. quia corpus dictum est altare secundum illud. Altare de terra facietis mihi. Sequitur per manus angelus tui. i. per operationem filii qui dicitur angelus Esa. Magni consilii angelus secundum Ieremiam. Scda expositio est talis. iube hoc. i. corpus christi mysticum. i. per ecclesiam militante perferri et associari in sublime altare. i. in ecclesiam triumphante quam dicitur secundum illud. Leuiti. ignis in altari meo semper ardeat. debet feruore charitatis in ecclesia triumphante et hoc per manus angelus tui. i. per operationem et virtutem filii tui. Tertia expositio est talis. O tu deus hec vota et orationes iube perferri. i. presentari in sublime altare tuum. i. in presentia curie celestis et in conspectu diuine maiestatis tue et per manus angelus tui. angelus enim vota nostra offerunt deo vobis. Thobie. xij. dicit Raphael ad thobiam. Cum orares obtuli orationem tuam domino. In fine autem dicitur. Corpus et sanguis. Et fit vna crux super corpus et alia super sanguinem. Prima signat martirium christi. Secunda signat martirium sanctorum.

Sequitur nona pars. s. Memento in qua oratur pro defunctis: et in eodem ordine orandum est in hoc memoreto sicut in alio. In hoc oratur pro defunctis: in alio pro uiuis. Sed notandum quod triplex est locus refrigerij lucis et pacis. locus enim paradisi dicitur locus refrigerij propter ardores ignis inferni et purgatorij. Unde psalmus. lxxv. Transiuimus per ignem et aquam. Dicitur locus lucis con

tra tenebras inferni. de quibus **Matthæi. xi.** **Mittite enī**
in tenebras exteriores. **Locus pacis** dī ppter tranquillī
tatē mentis: q̄ est ibi cōtra vermē conscientie eorū qui nō
erūt. vnde **Esaiæ. lrvj.** dī vermīs eorū nō moriet̄ ⁊ ignis
eorum non extinguetur. Sed quia hic fit mentio de penis
oportet vt prius aliquid dicamus de peccatis. **Primo** q̄
dicantur peccata venialia: ⁊ que mortalia. **Secūdo** quid
sit peccatum mortale. **Tertio** cuius ponderis sit peccatum
mortale. **Quarto** dicemus de remedio peccati mortalis.
Quinto dicemus in qua ciuitate habitabunt decedentes
in peccato mortali: ⁊ in qua decedentes in statu gr̄e. **Quā**
tum ad primum pro exordio nostre expositionis sciendus
q̄ **Aristoteles ethicorum. vij. capitulo. vj.** quasi in fine di
cit. milies enim plura mala pōt facere homo malus q̄ be
stia mala. Sed pro declaratione materie presentis dabit̄
quedā regula generalis ad cognoscendus peccata morta
lia ⁊ venialia: que talis erit. **Peccatorū alia** committūtur
citra rationem alia vero vltra rationem. **Peccata** que cō
mittuntur citra rationem: oīa venialia. i. digna venia. qd̄
accidit qñ sensualitas est subiecta rationi ⁊ sic durante ta
li dominio etiam si insurgat sensualitas vel appetitus dici
tur homo. hō ethi. j. **Et sic** reperiunt̄ q̄ plurima remedia
pro peccatis venialibus. s. iunio pectoris. oratio domini
ca. aqua benedicta. confessio generalis. benedictio episco
palis. auditio misse ⁊ alia huiusmodi. **Si** peccata commit
tamur vltra rationem. i. in tantum q̄ ratio sit subiecta sen
sualitati vel appetitui: omnia erūt peccata mortalia ⁊ tūc
cōmittēs tale peccatū nō dicitur hō interior vt dicebat p
pheta in ps. xlvij. **Homo** cum in honore esset non intelle
xit: cōparatus est iumentis insipientibus: ⁊ similis factus
est illis. **Et** dicunt̄ peccata mortalia qz sunt digna morte
eterna. **Contra** q̄ opatur cordis cōtritio: oris confessio: ⁊
operis satisfactio: de quibus deo dāte aliqd̄ dicit̄ suo loco.
Pro quo sciendū qz in pctō mortali cōsiderant̄ septē vel

octo. s. actus pcti. culpa. offensa. macula. reatus. tenebra.
pena. ⁊ pnitas ad malū. ⁊ oia ista ponunt̄ ī quolibet pec
cato mortali: p̄serti pctō cōmissionis. De p̄mo patet sicut
in occidere ⁊ fornicari: quib⁹ est actus positiu⁹. s. vulnera
re hominem: ⁊ tangere feminā carnaliter. qui actus abso
lute in se non sunt boni nec mali: sed efficiuntur boni vel
mali per circūstātiās. Et quia dicitur hic actus in se nec
sunt boni nec mali. Pro quo nota q̄ bonitas vel malicia
est in actu humano. Actus humanus est qui principiā
ab intellectu ⁊ appetitu secundum p̄m Ethicorum. vi.
vbi dicit q̄ tria sunt dominatiua actus: ⁊ ita ergo in actu
interiori est bonitas vel malicia: quia act⁹ exterior sine in
teriori actu quātuncumq; nociuus sit nec bonus nec ma
lus est. sic Ambrosius. Affectus tuus operi tuo nomē im
ponit. Sic ⁊ Augustinus: ⁊ omnes sancti doctores dic
unt peccatum ideo peccatum quia voluntarium: quo
niam si non voluntarium non est peccatum. sic episcop⁹
abulensis. ero. ix. super particulam memento vt diem sab
bati sanctifices. Et sic ad Gal. j. dicitur. Caro concupis
cit aduersus sp̄m. Al principio igitur in hoīe postq̄ p̄mi
parētes errarūt ē pugna in hoīe p̄pter passiōes appetit⁹
sensitiui repugnātes intellectui. An si v̄tus itellectiua pre
dominat ⁊ obtinet ī regulādo appetitū sensitiuū qui mo
tus ⁊ victoria est naturalis vt inquit P̄phus. ij. de anima.
tractatu de motu ⁊ mouēte: et est quēadmodum si spera
superior mouet inferiorē: tūc homo habet in se pacem ⁊
virtutem. Et si p̄ cōtrariū fieret. s. q̄ appetitus vel sensua
litas superaret intellectum ⁊ rationē: q̄ motus esset contra
naturā: ⁊ esset homo in se ipso disson⁹ ⁊ in guerra ⁊ male
compositus atq; vitiosus. sic ista probantur in capi. j. de
sacra vnctione vbi d̄r cui⁹ pars superior ratio est inferior
sensualitas. Et Prosper ostendit de vita contemplatiua
dum dicit. dominet̄ viuens ratio; subijciat̄ corpus anime

et animus deo, sic implicita est hominis perfectio sic de peni.
di. ij. in capi. corpus nostrum. et di. iij. in capi. in salicibus. Et
sic virtutes et vicia faciunt distinctiones in hominibus. Et
qui faciunt opera dei sunt filii dei. Et qui faciunt opera dia
boli sunt filii diaboli. sic. Jo. viij. eius filii appellaris cuius
opera facis. Secundum quod est in peccato est culpa. Et
est culpa quedam privatio debite rectitudinis in actu. scilicet ad
hoc quod aliquis actus esset bonus moraliter debet habere
circumstantias bonas regulantes eum: quibus si careat erit
malus. Tertium in peccato est offensa. nam quando quis peccat re
cedit a deo contemnendo eum et legem suam: et adherendo
cuiusdam bono creato quod homo preponit deo: et in hac ad
hesionem deus offenditur. scilicet quod propter aliquam rem mino
rem se contemnat. Quartum est macula. de isto peccato
loquitur magister sete. iij. di. xiiij. ca. j. vbi dicit quod ante pes
nitentiam cordis peccator habet maculam et fetorem peccati: et ista
est deformitas quedam in anima nostra vel immunditia large di
cta: et est in anima secundum quod in anima est imago dei. Et est ma
cula vel deformitas pulchritudinis prius habite et nunc
debite inesse sicut in corpore humano quod adornatur vesti
bus circumstantibus illud: quibus si homo careat est deformatus
et male apparet. et non est illa deformitas nisi carentia vesti
um vel ornamentorum necessarij: ita est in anima nostra: nam in ipsa est imago
dei naturaliter et pulchritudo sua extrinseca est gratia vel
charitas: quam cum habet pulchra videt: sicut homo vestitus.
Si autem caruerit illa: erit deformatus sicut homo nudus: et hoc est
in quolibet peccato mortali: quod pro quodlibet tollit tota chari
tas et gratia dei. sic magister sententiarum libro primo et quarto. et in pluribus
alijs locis eiusdem libri. Vel potest macula accipi pro quadam
immundicia figurate sumpta. nam sicut quis tangit aliquam
rem immundam polluit actualiter: et postquam cessauerit actualiter
tangere et cessat actualiter pollui: manet tamen semper
pollutus usquequo lauet. ita quando quis auertens voluntatem
suam a deo: applicat se alicui rei create: qua vult frui: deus pol

hui actualiter volūtas; per actualē cōuersionē ⁊ adhesionē
ad illā rem. Et cessante illo actu cessat ista volūtas actua
liter pollui: manet tamē polluta quousq; p penitentiā ab
stergat illa imūditia relicta. Sicut enī q̄ tāgit morticinū
vel aliq̄d inmundū: ita pollutus est post actū vsq; quo la
uet: sicut fuit dum tāgeret. ita post actū peccati polluta re
manet aīa sicut fuit i ipō pcti actu: q; ita ē longe a deo per
similitudinē qui ē vita ⁊ mūditia mēt; sicut fuit dū pctm̄
ageret: ipsa etiam dissimilitudo in aīa est elongatio a deo
quod est valde notandū ⁊ timendū qualiter elongatio fit
a deo q̄ dicit macula a qua purgatur in penitentiā. **Quin**
tum in pctō est tenebra: ⁊ hoc assignat mgr̄ sentētiarū. di.
xiiij. Sed queritur. que sit illa macula ⁊ q̄ sunt ille tenebre
exteriores a quibus deus animam purgat. respondet ma
gister dicēs de tenebris ⁊ interiori caligine: satis facile est
respondere: cum enim quis mortaliter delinquit ⁊ gratia
virtutis priuatur si qua p̄cessit ⁊ naturalium bonorum
patitur lesionem: vnde intellectus obtunditur: ⁊ totus ho
mo interior obtenebratur: ⁊ ita quada; caligine mens ob
uoluitur: que caligo peccati pena est. sed sanct⁹ **Tho.** di
cit maculam ⁊ tenebras in peccato idē esse: sed macula vo
catur in quantum ē priuatio gratie vel decoris. **Tenebra**
aut̄ in quantum est obstaculū quoddā vt interpositū ip̄m
pctm̄ ad non recipiendū gr̄am ⁊ dei claritatē. **tertū** est reas
tus ⁊ idem est qd̄ obligatio: q; reatus a reo dī. ⁊ ista est in
quolibet peccato siue originali siue actuali siue mortali si
ue veniali: ⁊ insurgit ex lege dei. nā sicut in legibus huma
nis cauetur quod occidēs hominē aut vulnerans tali pe
na plectatur. si quis aut̄ cōtra illā legē fecerit: illico ē obli
gatus ad tolerādā illā penā legis: ⁊ ista obligatio non
insurgit nisi ex lege cui dedit vires legislator: ita in diuinis
est qd̄ si quis peccauerit mortaliter: qd̄ puniat in inferno.
Statuit ergo qd̄ si quis peccauerit: iurget ei ista obliga
tio sc; vt puniat in eternū. similis modus loquendi ē gen.



iiij. s. quacūq; hora comederis: morte morieris. i. obligaueris ad moriendum. de isto reatu dicit Tho. quod sit obligatio ad penam. et dicit quod sicut in peccato mortali sunt duo. scilicet auersio et conuersio: ita est duplex reatus. nam ex parte auersionis incurritur reatus pene eterne: ex parte conuersionis ad creaturam manet reatus ad penam temporalem. sic Tho. iij. sententiarum. disti. viij. q. iij. ar. ij. et iij. parte sume. questione. clvi. argumento. iij. et prima secunde. questione. clvij. per totum. Septimus in peccato dicitur pena que pro peccato debetur: et ad hanc est reatus siue obligatio ad penam directe eternam. Et alia est temporalis. i. ad penam temporalem siue que debetur ex commissione siue que manet ablato reatu mortis eterne per contritionem et gratiam. Octauum est in peccato pronitas ad malum: et ista insurgit naturaliter ex peccato. sic gen. viij. oēs enim sensus et hominis cogitatio magis proni sunt in malum quam in bonum. Nam teste aristotele ethico. ij. vbi dicit. Generationes et corruptiones habituum fiunt ex eisde. i. ex similibus. scilicet ex hoc quod est iustum facere: efficitur quis iustus: ideo oīs actus naturaliter est generatiuus alicuius habitus talis qualis ipse est. Et quia non potest interdum ex quolibet actu gigni habitus: cum sit habitus qualitas quedam recepta in subiecto et difficulter mobilis: gignitur saltem dispositio ad habitum ex actu: ideo distinguit Aristoteles in prima specie qualitas habitum et dispositionem. Cum ergo quodlibet peccatum actuale sit actus malus: sequitur naturaliter ex eo pronitas ad malum: que est habitus vel dispositio. de hoc scribit Tho. iij. sententiarum. di. cxxiij. arti. j. in corpore questionis et in multis locis. Sed quod pro quocumque peccato mortali debeat pena eterna ut dictum est hoc tenet Tho. iij. sententiarum. di. clvi. ad tertium primo responsio: pro quo facit dictum aristotele ethico. v. vbi dicit quod tanta est iniuria quanta est illa persona contra quam committitur iniuria. Sed deus est infinitus: igitur pro quocumque peccato mortali debe

tur pena eterna. Et sciēduz q̄ peccata mortalia quādoqz
adimplentur in volūtate ⁊ actu ad extra : ⁊ quandoqz in
voluntate tantum. sic redemptor noster. Si quis viderit
quā ad cōcupiscēdam eam : iā mechatus est in corde suo.
Mat. vj. Et sic dicit augu. ⁊ omnes doctores q̄ peccatū
ideo peccatum qz voluntariū: quia si nō esset voluntariū
nō esset peccatū. Et sic notandū q̄ sicut oīa accidētia fun
dantur in subiecto: ita omnia peccata mortalia fundantur
et subiectātur in voluntate. Sed tristādum est propterea
q̄ si aliq̄s tangat in aliqua pte sui corp̄is: immediate sen
tit lesionē ⁊ recipit tristitiā. p̄ quo dicebat aristo. v̄r̄ mihi
corp̄ ⁊ animā compati adinuicē. q̄ ⁊ si repiat in infinitis
peccat̄ mortaliḃ: nō sentit. p̄ quo dicebat aristo. in li. re
tho. vñ nobis tāta mala euenerūt eo q̄ nō sentiēda senti
m̄: ⁊ sentiēda nō sentimus. p̄ quo nota q̄ sicut mulieres
cōtraherūt si cōmisceant cū viris extraneis fornicantur ⁊
dicunt adultere: sic aīe si cōmisceant cū diabolo dicuntur
adultere ratione pcti mortaliḃ: qm̄ sicut mulieres adulterā
tes possunt puniri vltimo supplicio si accusent a viris suis
is pbato delicto vt in. l. grace. L. de adulteriḃ: ita erit de
hominibus in peccato mortali decedētibus.

Dico quo nota q̄ aliquis posset arguere probando
q̄ existens in peccato mortali est nihil vel minus q̄
nihil. et sic. Qui facit peccatū seruus est peccati. Joā. viij.
Sed seruus nō est maior dño. Joā. xij. ergo q̄ facit pctm̄
nō est maior pctō. sed scdm̄ beatū Augu. pctm̄ ē nihil. vñ
Joā. primo. oīa p̄ ipm̄ facta sunt: ⁊ sine ip̄o factuz ē nihil.
glo. i. peccatum. ergo faciēs pctm̄ facit seipm̄ parem nihil
vel minorem. sic d̄r. Job. xxx. In nihilo redact⁹ sum: ⁊ ve
lut vmbra sal⁹ mea. Pro quo ē dolēdū ⁊ tristādū q̄ mul
ti multa sciūt: ⁊ se ip̄os nesciūt ⁊ sic multū facit qui seipm̄
cognoscit vt ait Aristote. ethico. j. cap. iij. vbi dicit. quisqz
bene iudicat que cognoscit: eorūqz bonus iudex est. Quā
tū ad secūdū dicēdū q̄ pctm̄ mortale est volūtās faciēdi.

vel operādi id qđ lex vetat. vel aliter. peccatū mortale est
dictū: factū vel cōcupitū contra legē dei. hec Aug. Amb.
dicit qđ pctm̄ mortale ē p̄uaricatio qđā ⁊ inobediētia cele
stiuū p̄ceptoz. Quātū ad quartū dicēdū qđ aliq̄s nō im
merito posset dubitare non obstantibus supradictis diffi
nitionibus dicendo. Ego vellem scire cuius longitudinis
vel latitudinis vel profunditatis sit peccatū mortale: qm̄
si video aliquē hominem magnū in corpore: dico magn⁹
est homo iste: et si videā paruum hominē: dico paruus hō
est iste. Dicēdum qđ peccatū non habet latū: nec longum:
nec profundū: cū nō sit corpus: tamē per te poteris cogno
scere cuius pōderis sit. **P**ro cuius cognitione cōsidera in
mente tua quādā staterā: ⁊ in vna parte illi⁹ statere pone
oēs res sensibiles ⁊ corporales vt terrā. plūbum. aurū. ⁊
alia huiusmodi. ⁊ in altera parte illius statere pone vnicū
peccatū mortale maioris ponderis erit vnicū peccatum
mortale q̄ ceterē res sensibiles: ⁊ sic nō immerito deceden
tes in peccato mortali immediate descēdūt ad īfernū: ⁊ sic
phi. iij. dī. est rei pōderose appetere cētrum: ⁊ rei leuis ap
petere sursū. Et sic est notādū quomodo vnū pctm̄ morta
le plus pōderat q̄ omnia pōdera de mūdo. sic cāti. v. talē
tum plūbi portabatur: et ecce mulier vna sedens in medio
amphore descendit: hec est īpietas. Cū igit̄ res pōderosa
potius habet descēdere q̄ ascēdere: tūc descēdebāt pctō
res ad īfernū. Et talis fuit allegatio diaboli. s. oēs peccato
res debebant ad īfernū descendere sed nil profuit illi: qm̄
dñs noster iesus christus in alia lāce seipm̄ quodāmodo
posuit qui in tantum ponderauit qđ pars in qua erat in in
fernū descendit: pars vero in qua erat homo tantum ere
xit qđ in celū ascēdit. ⁊ sic r̄ps statera facta corporis predā
q̄ tulit tartaris. ⁊c. De statera cantat ecclesia. statera fac
ta corporis predamq̄ tulit tartaris. licet pro p̄senti nō fa
ciat ad nīm p̄positū: sed pro redēptione sanctorū patrū
eristētū in libo ⁊ sic posuit se r̄ps p̄ corū redēptione in al

tera parte statere: et sic altera pars descendit: altera ascendit volo dicere quod spoliavit infernum de quo deo dice aliqđ immediate dicit. Sed pro peccatorum mortalium poderositate ne mini catholico sani intellectus est dubium quod si aliquis post deum totum orbem possideret et ipse orbem in piis causas diuideret: et tamen unicum solum peccatum mortale committeret de quo sciret nollet penitentiam agere: quod et si sic sine penitentia decederet quod absit ab omni creatura humana immediate descenderet ad infernum: quod est timendum et horredum: et sic in hac carne mortali hoc est reparandum. Sic paulus. Dum tempus habemus operemur bonum. quoniam in hac carne mortali ut dictum est nuper possumus mereri vel demereri. mereri si recte operemur: demereri si non recte operemur. Sed post hanc vitam non est locus merendi nec demerendi: sed adimplebitur illud propheticum in psalmo. lxxj. ubi dicebat propheta. tu reddes unicuique iuxta opera sua. de ista materia loquitur thomas. iij. parte. q. lxxj. quasi pro totum. Et illud athanasij facit ubi dicit. qui bona egerunt ibunt in vitam eternam: quod vero mala in ignem eternum. et illud apocalypsis. opera enim illorum sequuntur illos. Sed pro ista materia etiam facit thomas in quarto sen. di. lxxv. ad primum. secundo. R. et tangit questionem precedentem et subsequentem cuius verba sunt. quod sicut in corporalibus est gravitas vel leuitas que feruntur ad suum locum qui est finis motuum ipsorum: ita est in animabus meritum vel demeritum quibus pueniunt anime ad primum vel penam que sunt fines actionum ipsarum. vnde sicut corpus pro gravitate vel leuitate statim fertur in locum suum nisi prohibeat: ita anime soluto vinculo carnis per quod in statu vite detinebantur statim primum consequuntur vel penam nisi aliqđ impediatur: sicut interdum impedit consecutionem primij veniale peccatum quod prius purgari oportet: ex quo sequitur quod primum differatur. Et quod locus deputatur anime a secundum congruentiam primij vel pene: statim ut anima a corpore absoluitur: vel in infernum demergitur vel ad celum euolat nisi impediatur aliquo reatu quo oportuit euolutionem differri ut prius anima purgetur. Et huic

veritati auctoritates scripture canonice manifeste attestan-
tur et documenta sanctorum patrum, unde contrarius pro
heresi est habendum ut patet in. iiii. dialogo. et in libro de
ecclesiasticis dogmatibus. Quantum ad quartum de res
medio pro peccato mortali: dicendum quod ille tres parti-
cule. scilicet. cordis contritio: oris confessio: et operis satisfactio sunt
medicines quedam pro peccato mortali si omnes concurrant. scilicet. in actu tunc sanitas: si adsit facultas sin autem propositi
tunc confitendi: quoniam tunc necessitatis. scilicet. mortis articulo et si non
possit haberi copia sacerdotis: sola contritio saluat animam.
Sed pro declaratione eorum que dicta sunt erit data definitio
vniuscuiusque particule. Et primo de contritione: que est quidam
dolor voluntarie sumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi.
Confessio est manifestatio peccatorum spe venie aperta. Et
satisfactio est honoris deo debitum impedere etc. Vel aliter
satisfactio est reparatio in pristinum statum. sic in ca. pisanis ac
luchanis de resti. spo. sic Boetius in li. predicamentorum.
prius extirpanda sunt vitia quam inserantur virtutes. pro quo
notandum quod in foro dei vel foro interiori vel penitentie quod
idem est: potest iudex infligere quacumque penas voluerit iuxta
arbitrium. pro quo nota quoniam non est sub silentio pretereundum
quomodo penitentiae sunt arbitrarie: omnes namque arbitrarie
sunt ut in ea. Deus qui de pe. et re. hoc autem est ve-
rum quantum ad id quod imponitur nomine pene: secus autem
quantum ad id quod venit nomine satisfactionis: quod non est
pena. nam in illo non potest confessor taxare vel moderari:
sed quantum incumbit satisfaciendum ex natura damni dati
vel iniurie illate tantum satisfaciendum est. et sic vide ca. e in
iusta. c. iij. q. iiii. ubi dicitur. quod facilitas venie prebet in-
centiuum delinquendi. Hoc autem dixisse placet propter
quosdam simplices confessores: qui cum audiant ecclesiam
constituisse omnes penitentias arbitrarie: putant quod de
omni eo quod in confessione venit possunt ipsi arbitrari.
et ideo si quis confiteatur quod furatus fuerit mille vel quod

intulit alicui in dānum centum: iubent confitēti qđ det ali
quā parua elemosinam vel quod faciat dicere aliquas
missas ⁊ totū residuū remittūt: decipiunt tamem isti seip̄
fos: ⁊ decipiūt confitētes: quia ecclesia dedit eis potestātē
arbitrādi super eo quod est debitum deo: nō autem super
eo qđ est debitū p̄orimo q̄ alias sacramentū penitentie
erat medium ad perpetrāduz grauiissima furta: ⁊ per istū
modum turbarentur omnia: ⁊ destruerentur respu. si con
fesso: posset peccatorem absoluere ab eo quod mihi debi
tum est: ⁊ sic nulla esset maior iniquitas quā sacramētum
penitētie. Est ergo aduertendum qđ si quis furatur alteri
mille: vel infert ei damnuz in cētuz: est hic duplex offensa.
vna que fit deo: cuius cōtra legem iste fecit furādo: ⁊ pro
ista pena certa que deo debetur: potest confessor moderari
ad arbitrium suum: sed alia offensa fit ei cui ablata sunt
vel mille furta: aut cui damnum irrogatū est, ⁊ circa istaz
nihil potest sacerdos taxare vel moderari: sed cogitar ius
bere illi qđ reddat tantum quantū damnum intulit: ⁊ non
solū quātū valet res furto sublata sed etiā damna et expē
sas si talis erat res cui⁹ tempore intermedio damna affer
ret domino cuius erat, quod est notāduz propter multos
sacerdotes ⁊ religiosos imperitos et ignaros audiētes cō
fessiones qui imperite ⁊ indiscrete se habēt cū sua bona cō
sciētia ⁊ cōsciētia penitētium qui cū sua tenebra ⁊ ignorā
tia cadunt in illū canonē math. xv. si cecus cecū ducit: am
bo in foueam cadunt vel sub alijs verbis. Si cecus du
catū prestet ceco: ambo in foueā dilabunt. sic in capitu. cū
fit ars artū regimē animarum. de eta. ⁊ quali. or. Sed p̄
dictis et dicendis est sciendum qđ sacerdotum alij possunt
cōparari soli: lune: diei: facule: vel cādele. qđ sicut est solis:
lune: diei: facule: vel cādele lucere: ita ē hoīz peritoruz ⁊ sa
cerdotū sapiētū lucere. Sed alij sacerdotes insipientes ⁊
aduocati siue iudices imperiti possunt cōparari nocti vel
obscuritati. qm̄ sicut mediante tenebra ⁊ obscuritate hoī

mines quicquid cadunt: ita mediis confessoribus ignavis et
insipientibus quandoque penitentes forte condemnabunt. pro
quo facit auctoritas sapientis. sapiens. vi. ubi dicitur. Ubi
multitudo sapientium: ibi sanitas orbis terrarum. igitur quid
rite contra: pro quo vide capitulum multi supra positum.
di. xl. et sic tales sacerdotes siue religiosi male iudicando in
audiendo confessiones: forte faciunt litem suam: quoniam omnia iu-
ra proclamant. Iudex qui male iudicat: facit litem suam. Et
sic Christus redemptor noster fleuit ignorantiam quam est mater cuncto-
rum errorum in suscitatione Lazari. Jo. xi. Ista etiam habet ma-
the. iiii. super particulam penitentiam agere. et est glo. hu. epi-
abulei. Sed nota quod septem sunt que impediunt penitentiam age-
re. ignorantia: timor: mala societas: fiducia viuendi: sani-
tas carnis: amor carnalis: larga dei misericordia. Et sciendum quod
penitentia a diuersis doctoribus diuersimode diffinitur. Quod
Augustinus dicit. quod penitentia est peccata preterita plangere et
plangenda iterum non committere. Ambrosius vero dicit. Vera
penitentia est cessare a peccato. Sed qui voluerit latius de ista
materia videre: videat magistrum sen. i. iiii. di. xv. et ibi thomam.
Sed nota pro illis qui refugiunt confiteri: quoniam sunt ponderanda
et multum memorie commendanda eo quod contra tales insurget
Christus in iudicio vniuersali: et propria conscientia: et diabolus
et peccatum suum: et totus mundus. sic propheta in ps. cxxj. ubi di-
cit. Beati quorum remisse sunt iniquitates: et quorum tecta
sunt peccata. per quod datur intelligi. quod vere penitentibus in die
iudicij erunt peccata occulta. Sed nolentibus penitere vel
qui noluerunt penitere in hac carne mortali: sibi ipsis et om-
nibus circumstantibus erunt talium peccata visa et manifesta. quod
est notandum et timendum et per consequens fugiendum. Et sic est
notandum. quod omnes Christi fideles tenentur confiteri ter in anno.
scilicet in pascha natalis domini: et in pascha resurrectionis: et in pascha
spiritus sancti: saltem semel in anno secundum Fabianum papam
et Innocentium tertium. sic in capi. ois vtriusque serus de. pe.
et re. Et magister sen. in. iiii. di. xiiij. finalibus verbis. Et ibi thomam.

et verba magistri sunt. Si non frequenter: saltim ter in anno
homines communicent: nisi forte quos criminalibus impediat: in
pascha. scilicet et in penthecoste et natali. omnes ergo communicent: qui non
luerint ecclesiasticis carere liminibus glo. i. ecclesiasticis se-
pulturis. Sic etiam in tertia parte. q. lxxx. ad. r. Sed pro
materia ista sciendum quod sicut in quocumque peccato mor-
tali ad minus concurrunt tres generationes scilicet cogitatio
mali: et locutio: et operis executio: ita fuit licitum etiam quod con-
tra peccatum quodcumque mortale triplex esset remedium. scilicet
contritio: confessio: et operis satisfactio. et hoc pro tanto: quia
contraria contrariis curatur. sic in ca. ois enim res. ext. de re-
gu. iij. Et sic contra cogitationem in malum insurgit illa aucto-
ritas. Scidite corda vestra et non vestimenta vestra. Ioe. ij.
Contra malam locutionem oritur illa auctoritas. Confitemini
alterutrum peccatum vestrum. Iaco. j. Contra operis executionem oritur
illa auctoritas. Lu. iij. Facite dignos fructus penitentiae. Pro
quo est notandum illud quod dicitur matth. ix. et Eze. xvij. vbi dicitur.
Quacumque hora peccator genuerit peccata sua: ego deus ex-
audiam eum. Et illud quod dicitur matth. iij. super illa particula facite
dignos fructus penitentiae quod scilicet fit in charitate. moraliter loquendo:
arbor est penitentia. Radix: cordis contritio. Rami: bona opera.
Folia: confessio integra. Fructus: satisfactionis pena. Ille
ergo facit penitentiam sed non dignos fructus: qui dolet tantum de com-
missis. Ille vero agit penitentiam qui dolore cordis tantum affligi-
tur per penam: quantum deliquit per culpam secundum illud
apoc. viij. quantum se glorificauit in delictis suis: tantum illi
date tormentum. Et ultimo notandum quod flores quos
producit arbor denotant famam bone opinionis. Et est
fama illese dignitatis status: vita et moribus comproba-
tus. sic in glo. illius capi. vestra. de coha. cle. et mu. super par-
ticula. notorium. Et sic iustum et honestum esset predicatori-
bus superadicta et similia: in quibus homines quotidie cadi-
mus predicare et alia alta et subtilia et curiosa dimittere: vt
ponedo exemplum predicando de trinitate quandoque in ouo et

quandoq; in farina: et quandoq; in sole. et sic de alijs exē-
 plis huiusmodi. Et ista placuit dicere propter illa que dī-
 cit sanctus Thomas. iij. distinctio. xj. ad quartum in solu-
 tione quarte. q. Cuius verba sunt. Credo autem qđ om-
 nia q̄ sunt sup̄ naturalē cognitionē angeloruz: sunt supra
 naturalē rationem hominuz. et ideo mysteria fidei dicunt
 eē abscondita a seculis in deo vt dicitur ephē. iij. Vñ natu-
 rali cognitione nō vidēt angeli corp⁹ xp̄i sub sacramēto:
 sed solū beata. Demones vero nullo modo. sic etiam tho.
 in. iij. parte. q. xliij. ad p̄mū in corpore. igit̄ qđ dicitur est de
 predicatorib⁹ aliquis posset dubitare q̄re tot boni p̄dica-
 tores et viri famosi scientia illuminati tam paucos conuer-
 tant. Dicēdū est qđ illa est potissima ratio. q: sicut ip̄i di-
 cunt. docent et non faciunt: sic auditores audiunt et atten-
 dunt et nō credunt. sic de pe. di. ij. §. Sponitur. s. illud qđ
 oīs clamat auctoritas si sic permansisset vt creat ante pec-
 catum: esset translatus in gloriā quā habituri sunt sancti:
 sed nemo adultus sine charitate intrat illam. Non sic fecit
 xp̄s. actuum. j. vbi dī. Cepit Iesus facere et docere. Quā-
 tū ad quītū p̄ āpliori declaratione d̄ ciui. j. loq̄r Aristō.
 de ea in. iij. de republi. in principio vbi dicit. Quid ē ciui-
 tas et qui sunt ciues q̄ debent gaudere p̄uilegijs ciuitatis.
 de qua Augustinus loquit̄ ad plenum in li. de ciuita. dei.
 in quo in plurib⁹ locis docet quō sunt due ciuitates. s. alia
 dei: et alia demonis. et tho. loq̄tur de istis ciuitatib⁹ in. iij.
 sentētiarū. di. xlvi. ad tertiu in corpore. Et eodē li. di. xlvij.
 tertio. R. vbi dicit. Quia q̄ ad calidum vstiūm etiā quā-
 tum ad id qđ in igne grossum reperitur descēdit ad inferos
 ad penā dānatorū: qđ vero est subtile et lucidū remanebit
 superius ad gloriā electorū. Et dicit̄ in l̄ra illud propheti-
 cum in ps. lrv. Trāsiuim⁹ per ignē et aquā. s. de nimio ca-
 lore ad niuē et ecō.

Pro quo nota qđ dī mat. xxiij. mittite eū in tenebras
 exteriores. de hac materia tractat̄ in additionib⁹. iij.

par. q. xcvij. ad quartū vbi dicit gre. si ignis ille lucē hēret:
in tenebras exteriores nequaquā diceret. et in corpe. q. dicit
quod dispositio inferni erit talis quod ut maxime miserie dānato-
rum competat. vñ scōm hoc fuit ibi lux et tenebre prout
maxime expetāt ad miseriam dānatorum. Ipsa autē visio
scōm se delectabilis est vt dī in pncipio metha. Sēsus oca-
loz est maxime delectabilis: eo qd per ipz plura cognoscim⁹
sz per accidēs ptingit visionē esse afflictiuā i qntū videm⁹
aliqua nobis nociua: vel nre volūtati repugnātia: ideo in
inferno nō dz esse loc⁹ disposit⁹ ad vidēdū scōm lucē et te-
nebras: vt nihil pspicui videat: sed solūmō sub qdā vms-
brositate videant ea q afflictionē cordi gerere possūt. vñ
simplr loqndo locus ē tenebrosus. Sz tamē ex diuina dis-
positiōe ē ibi aliqd luminis quātū sufficit ad vidēduz illa
q aiām torquere possunt et hoc satisficiat naturalis finis
loci qz in terre medio vbi infernus ponit: nō pōt eē ignis
nisi fetulēt⁹ et turbid⁹ et qsi fumosus. Quidā enī tenebras
rū harū causas assignāt ex cōmassatione corporū dānato-
rum q pze multitudine ita replebūt locū inferni quod ibi nihil
de aere remanebit. et sic non erit aliqd de diaphano quod
possit esse subiectum lucis et tenebre nisi oculi dānatoruz:
qui erūt obtenebrati et p hoc pz respōsio ad obiecta. Sz
p igne infernali nota i additionib⁹ mltā valde singularia.
q. xcvij. ad p̄mū in solutione p̄mi argumētī: vbi dī quia
ignis ē maxime afflictiu⁹ propter hoc quod abūdat i virtu-
te actiua. ideo nomine ignis ois afflictio designatur et sic
vehemēs. Sed de verme de quo Esaias. lxxvj. loq̄tur ē di-
cendum quod post diē iudicij in mundo inouato nō remane-
bit aliqd asal vel aliqd corp⁹ mixtū: nisi corp⁹ hominis
tātum: eo quod nō habeat aliquē ordinē ad corruptionem:
nec post illud tempus erit futura generatio et corruptio.
Unde vermis qui in damnatis ponitur non debet intelli-
gi esse materialis sed spiritualis qui est conscientie remor-
sus: qui dicitur vermis inquātū oritur ex putredine pecca

ti: animam affligit sicut corporalis vermis ex putredine:
ortus: affligit pungendo: sic in additionibus tho. q. xcviij,
ad secundū. Sed vtrum ille ignis sit eiusdem speciei cum
igne nostro quez videmus? Pro cuius declaratione vide
librum supra allegatum, xcviij, q. ad sextū in corpore. Lu
ius verba sunt, dicendum q ignis propter hoc qd est ma
xime virtutis in agendo inter reliqua elementa: alia cor
pora pro materia habet vt dicitur, iij. metha. Unde & ig
nis dupliciter inuenitur, s. in materia propria: pro vt est in
propria speciei: vel in materia aliena sub terrestri: vt patet
in carbone siue in aere: vt patet in flamma: quocūqz aut
modo ignis inueniatur semper est idem in specie quantum
ad naturam ignis pertinet: potest autem eē diuersitas in
specie quantum ad corpora que sunt materia ignis: vnde
flamma & carbo differunt specie. Et similiter lignū igne
um & ferrum ignitū nec differunt quantum ad hoc siue igni
ta sint per violentiam vt in ferro apparet: siue ex princi
pio intrinseco naturali vt accidit in sulphure, ergo ignis
inferni quantum ad hoc quod habet de natura ignis: sit
eiusdem speciei cum igne qui apud nos est, manifestum est
vtrum ille ignis sit in propria materia existens aut in alie
na, in qua materia sit nobis ignotum est. Et secundū hoc
potest ab igne qui apud nos est in specie differre materia
liter consideratus, quasdam tamen proprietates differen
tes habet ab igne isto: vt q successionē nō indiget nec ig
nis nutritur. Sed iste differentiē nō ostēdunt diuersitatem
in specie: quantum ad id quod pertinet ad naturam ignis.
Ad septimum queritur vtrum ille ignis sit sub terra? Ad
quod respondet Augusti, & dicit & habetur in littera. In
qua parte mundi infern⁹ sit: nemo scit nisi cui domini spi
ritus reuelauit, vnde Gregorius in quarto dialogorū su
per hac qstione interrogat⁹ respōdit. De hoc temere diffi
nere nihil audeo, nonnulli nanqz in quadā terrarū parte
infernū esse putauerūt, Alij vero hunc sub terra esse existi

mant. Et hanc opinionem probabiliorem ostendit dupli-
citer. vno modo ex ipsa nominis ratione sic dicens. Si id
circo infernū dicim⁹ quia inferius iacet quod terra ad ces-
lum est: hoc inferius esse debet ad terram. Secūdo ex hoc
quod dicitur apocalipsis. v. nemo poterat nec in celo: nec
in terra: nec subtus terrā aperire librum. Hoc quod dicitur
in celo referatur ad angelos. Hoc quod dicitur in ter-
ra: referatur ad homines viuentes in corpore. Hoc quod
dicitur sub terra: referatur ad animas existētes in inferno.
Augustinus etiā in libro. xij. super gene. ad literā duas
rationes tangere videtur quare congruū sit infernus esse
sub terra. Una vt qm̄ defunctorum anime carnis amore
peccauerāt: hoc eis exhibeatur quod ipi carni mortue so-
let exhiberi vt. s. sub terra retrudat. Alia ratio est q̄ sicut
grauitas in corporibus: ita tristitia in spiritibus: ⁊ letitia
sicut leuitas. Unde sicut secundum corpus si ponderis sui
ordinez teneat inferiora sunt omnia grauiora: ita secundū
spiritum inferiora sunt omnia terrestria. Et sicut conuenis-
ens locus gaudio dilectorum est celum empiricum: ita con-
ueniens locus tristicie damnatorum est infimum terre. nec
mouere debet quod Augustinus ibidē dicit. q̄ inferi sub
terris esse dicuntur vel creduntur: quia vt in libro retracta-
tionum hoc tractās dicit. mihi video: docere debuisse ma-
gis q̄ sub terris sunt inferi: quā rationem reddere cur sub
terris esse dicuntur siue creduntur. Quidam tamen philo-
sophi posuerunt q̄ locus inferi erat sub orbe terrestri: ta-
men super terre superficiem ex parte opposita. Et hoc vis-
denur ysidorus sensisse cū dixit. q̄ sol ⁊ luna in ordine quo
creati sunt stabunt: ne impij in tormentis positi fruātur lu-
ce eorum. queratio nulla esset si infernus intra terram esse
dicat. qualiter ⁊ hec verba possunt exponi patuit supra.
Pythagoras vero posuit locū penarum in sphaera ignis quā
in medio totius orbis esse dixit vt patet per Aristotelē in
secundo celi ⁊ mundi. Sed tamen cōueniētibus his que

in scriptura dicuntur: est vt sub terra esse credat. Sed pro
dictis ⁊ dicendis est notandum quod dicit Franciscus de
Mayrones: qui ait q̄ i inferno sunt quattuor māiones.
Prima est inferior: q̄ est locus primus damnatoruz. Sec
cūda est limb⁹ paruulorum nō baptizatoruz. Tertia est
purgatio: que est electorum nō tamē perfectōrū. Quarta
est sinus Abrahe q̄ est patrum antiquorum. Primi sunt
in culpa actuali: ⁊ in pena sensus ⁊ damni. Secundi sunt
in culpa originali ⁊ in pena damni tantuz. Tertij sunt in
gratia ⁊ in pena. Quarti sunt in gratia ⁊ cōsolatione ma
xima: cum nullam enī penā sensus habeāt. Et dicit de lo
co purgatorij q̄ beatus Gregorius in libro dialogorum
narrat de quodā episcopo: qui apparuit i quodā balneo
qui prestabat obsequium ⁊ hoc erat sibi purgatorium de
anima eiusdem q̄ in glacie purgabatur. Et dicitur q̄ hoc
potuit esse ex aliqua speciali causa p cōfirmāda fide nra
⁊ de alia vita: vel q̄ ille anime subueniantur a fidelibus.
Sed de communi lege loc⁹ purgatorij est sub terra. Sed
notandum qd̄ dicitur in lra paruulorum nō baptizatoruz.
Et est sciēdum q̄ paruuli decedētes sine baptisimo sortiū
tur grauissimā penam inter oēs infernales penas: que est
carere visione diuina: et sortiuntur mitissimā penam inter
omnes penas ⁊ hoc pro tanto q̄ habent conformitatem
cum voluto diuino. sic ep̄s Albulensis. Et sic nota qd̄ dia
bol⁹ est sicut falsitas in panno. nam sicut mercator de fal
so panno non ostendit emptori medium nec finem panni
sed tantum caput: sic diabol⁹ qui est mercator anime ostē
dit fatuo peccatori solum caput pāni: quod est notādum
idest delectationē peccati nō mediū. i. remotum cōsciētie
nec finē. i. penam gehenne. De hac materia dicitur Esai.
xxiij. erat sicut emens. ⁊c. sic archi. in capitulo. non est. xv.
q. j. super particula ere v̄dicatione. Et sic dicit propheta in
ps. xlviij. homo cū in honore esset nō intellexit cōparatus
est iumētis insipiētibus ⁊ similis factus est illis. ⁊ q̄ dicit

homo cum in honore esset: glo. i. factus ad imaginē dei sic
Nicola. ⁊ Augustin. in dicto. ps. xlviij.

Sed si queras de istis ciuitatib⁹ quales sint. Et pri-
mo de diuina. de qua dicēdū ē illud qđ dicī p̄ Esai.
capi. ix. ⁊ per aplm. j. cori. ij. qđ dicunt de ciuitate diuina. qđ
nec oculus vidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascē-
dit quāta bona preparauit deus diligentibus se. Et e con-
tra est de ciuitate diabolica: de qua dicī. s. qđ nec ocul⁹ vi-
dit nec auris audiuit nec in cor hoīs ascendit quanta ma-
la p̄parauit deus nō amantib⁹ se. Sed p̄ ampliori decla-
ratione sciendū qđ ciuitas hominum est multitudo ciuiū.
Pro quo est notādū qđ ciuitas ad hoc qđ dicatur ciuitas
requirunt tres cōditiones potissime. Prima est quod ciui-
tas sit libera: ⁊ in tātum libera qđ nō sit subiecta nisi Ro-
mano pōtifici vel ip̄atori vel regi vel principi. quoniam
si sit subiecta alicui militi vel alicui alteri exceptis supradic-
tis: perdit nomē ciuitatis: ⁊ sic per cōsequēs nō dicitur ci-
uitas. Secunda cōditio est qđ ciuitas sit composita ex di-
uersis hominum statibus. s. ex militibus ⁊ ex agricolis ⁊
ex alijs officialibus. Tertia cōditio est qđ ciuitas habeat
omnia necessaria sufficiēter qm̄ aliter nō poterit dici ciui-
tas: ⁊ per cōsequēs perdet nomen ciuitatis. Sed pro ista
materia vide Aristote. tertio de repu. in principio. Et quia
homo dicitur tanquam ciuitas bene ordinata: homo dicitur
habere supradictas tres cōditiones. Prima est quod vir
prudens felix ⁊ beatus debet esse liber ⁊ habere liberta-
tem: taliter qđ sit subiectus solum ipsi deo. s. per gratiam
⁊ charitatem: ⁊ non diabolo per peccatum mortale. Se-
cunda cōditio est qđ homo habeat omnes potentias sibi
necessarias tam spirituales q̄ corporales quoniam vt di-
cebat Augustin⁹. anima est vnica in essentia ⁊ multiplex
in officijs suis. sic etiam Aristot. in libris de aīa. Tertia cō-
ditio est qđ si hō hēat dictas potētiās requir̄ qđ hēat eas
bñ ordinatas: taliter qđ inferiores sint subiecte superiorib⁹ vt

sensualitas rationi: quā aliter hō nō diceret hō: nec p cōse-
quens dei sed ciuis diaboli. sic ethi. j. qđ elicīt ex illa partis
cula scđm virtutē optimā. vt qñ dī qđ felicitas est opera-
tio animi. glo. i. hominis secundum virtutem optimam in
vita perfecta. poterā secundum virtutem optimaz. glosa.
idest secundum partem principalē idest secundū rationē.
Ex quo elicitor qđ illo tēpore homines dicuntur homines
quo tempore sequuntur rationem. Et si contra fiat nō di-
cuntur homines. s. si sequantur sensualitatē. sic propheta
in psalmo. xlviij. Homo cū in honore esset idest factus ad
imaginē dei non intellexit: comparat⁹ est iuuetis insipie-
tibus: ⁊ similis factus est illis. Et sic aīa est vnica in essen-
tia sua: sed multiplex ī officijs suis. Et sic aīa est quoddaz
regnum in se: quia habet suas potestates ⁊ sua officia ordi-
nata ad medium regni quia superiores virtutes ⁊ potesta-
tes imperant precipiunt ⁊ dominātur inferioribus ⁊ eas
regunt ⁊ gubernant. sed virtutes inferiores obediunt ⁊ fa-
mulantur ⁊ seruiunt superioribus ⁊ recipiunt mādata ab
eis. ⁊ ideo regnum est bene dispositum ⁊ in pace quando
superior potestas vt regia vel imperialis bene regit et im-
perat ⁊ inferior potestas obedit ⁊ famulat. ita ergo in re-
gno aīe est bona dispositio ⁊ bona pax ⁊ trāquillitas qñ
superiores partes ⁊ potestates que sunt in anima bene re-
gūt ⁊ īperāt: inferiores bñ obediūt ⁊ famulant. Sz p āpli-
ori declaratione eoz q dicta sūt dicebat frater Albert⁹ ⁊
Alexander de ales. q multis noib⁹ noiatur aīa siue spūs
hūanus: sed secūdū diuersos respect⁹. aīa enī dī quātū re-
colit: anim⁹ dū vult. ratio dū recte iudicat. spūs aut̄ dum
spirat vel contēplat. sensus dū aliqd sentit. Et qz dī ciuis
vidēdum est quomodo homo dicatur ciuis. Hō cui⁹ de
claratione videnda sūt illa que ponit Aristo. iij. de repu.
⁊ isto libro in. j. in. §. ex his. vbi dicit. Ex his ergo patet ci-
uitatem esse ex his que natura sunt. Sequitur ⁊ facit ⁊ qz
homo natura ciuile est animal. Ex quo inferī qz homines

magis debēt appetere societate q̄ vitam solitariam: & ma-
gis habitare in ciuitatibus q̄ extra. Et q̄ homines his cō-
traria appetētes: cōparant̄ brutis. Sed qd̄ dices de diuo
Iohanne baptista & de diuo Antonio: q̄ magis cupierūt vi-
tam solitariā q̄ ciuilē: ergo nō videtur bene sonare qd̄ dicit
text⁹. Dicēdus q̄ appetere vitā solitariā potest esse vno de
duobus modis, aut ppter v̄tutes: aut ppter vitia. Si ppter
v̄tutes: bonū & optimū ē. sic fuit de diuo Iohanne bap-
tista & de diuo Antonio & de multis alijs. Sed appetere an-
tra vel deserta ppter vitia: malū & pessimū est. Et ē notan-
dū q̄ hoc forte potest euenire tripliciter, aut ex defectu, aut
ex affectu, aut ex effectu. Ex defectu q̄ hoc nō agit. s. fugere
vitā ciuilē: nisi q̄ nō cognoscit seipm̄ esse animal ciuile: qd̄
procedit ex defectu rationis. Ex affectu q̄ habet appetitus
inordinatos: & malā cōplexionē sue nature. Ex effectu q̄ sem-
per secut⁹ fuit appetitū & non rationē: & sic opatus ē multa
vitia vt adulteriū: latrocinium & filia. Et sic q̄ appetit vitā so-
litariā & nō ciuilē cōparat̄ qm̄ q̄ lupis: qm̄ q̄ vulpib⁹: qm̄ q̄
auibus rapacib⁹. qm̄ sicut aialia supradicta & alia huius
modi semp̄ viuūt d̄ rapina & appetūt ātra: sic hoines fugiē-
tes labore p̄prij corporis. & hoc propterea q̄ nolūt seq̄ do-
ctrinā p̄phete i ps. cxxvij. vbi dicit. Labores manuū tuarū
māducabis t̄c. Et gen. iij. d̄r. In sudore vult⁹ tui vesceris
pane tuo. Sed nūc accedam⁹ ad materiā de ciuitate d̄ qua
fuit propositū n̄m̄ & dicamus q̄ duplex ē ciuitas. s. diuina
& diabolica. Et sic per cōsequēs ciuiū alij dicunt̄ dei: & alij
dicūt̄ diaboli. Dimissa ciuitate diabolica accedam⁹ ad di-
uinā: & dicam⁹ cū propheta in ps. lxxxvj. Gloriosa dicta sunt
de te ciuitas dei. Sz tu q̄ i hac carne mortali deg⁹ siue viu⁹
cōspicere debes q̄liter ad ciuitatē diuinā tēdis ne erres: qm̄
facere malū est qd̄ facile: sed facere bonuz ē qd̄ difficile. Itā
sicut est quid difficile sagittariū mittere sagittā in signū: sic
facere bonum est quid difficile: & ecōtra deuiare a signo est
quid facile: sic facere malū est quid facile. sic Aristo. ethi. ij.

in. j. adhuc. vbi dicit. Adhuc delinquere multifariū est: naz
malum quidem infiniti est: vt Pythagorici putant. Et quo
elicitur q̄ malum p̄t committi infinitis vijs: bonum autē
vnico modo. Sed tu nota q̄ facere malū non est facere sed
deficere a facere. i. a recto fine: qm̄ id possum⁹ quod de iure
possum⁹. Pro quo vide capitulū. q̄ cōpulsis. xxij. q. v. S̄
p̄ supradict̄ cōmēda memorie rogo illā auctoritate math.
vij. Lata est via que ducit ad cōdenationē: stricta vero ad
saluationē. Et sic nota quomodo possumus cadere in pec-
catū mortale sine auxilio diuino. s. sola dei permissione. qm̄
Amos. iij. dicitur nō est malum in ciuitate qđ deus nō fece-
rit. i. permiserit. sed nō possumus surgere siue erigi sine au-
xilio dei. sic propheta in ps. lxxxviii. vbi dicebat. Spiritus
vadēs ⁊ nō rediēs. Et sic etiā gene. viij. dicit q̄ omnis crea-
tura humana ab adolescentia sua magis prona est in malū
q̄ in bonum. Et sic tu vide passum nup̄ positum: qui doce-
bit te qualiter a peccato valeas surgere. Pro quo nota q̄
cum pede gaudij ambulabis ad meritū: cum pede meroris
ad delictum. Cū pede doloris ad infernū: cuz pede spei ad
paradisum. Et est spes certa expectatio future beatitudinis
q̄ debet esse cum meritis precedētibus: qm̄ aliter nō dicere-
tur spes sed presumptio quedā. Et sic dicitur spes quedam
mentis audacia de largitate dei cōcepta: habēdi vitaz eter-
nam per bona merita. Sed pro ciuitate diuina vide quid
dicat episcopus abulensis in libro numeroꝝ in capi. xxiij.
super particula qui petit reliquias ciuitat̄. ⁊c. vbi dicit q̄
sunt due ciuitates. s. ciuitas dei: ⁊ ciuitas diaboli. vt Augu-
dicit. xiiij. de ciuitate dei. Et sic nota q̄ ciuitas dei incipit ab
amore dei vsq̄ ad cōtēptū ipsius hominis: vt scilicet quisq̄
cuius illius ciuitatis omnia temporalia reputet vt stercoꝝ
